









1762.

1. Heufeld, Dr. Augustus: s. Programma II: s. De successione ex jure communione, <sup>in ang. - - - praemissum.</sup> Gorresius Henricus Hintze dissertationis in ang. - - - praemissum.
2. Heufeld, Dr. Augustus: De jure creditorum vasallorum et percipienda ex pactibus fendi solutione.
3. Heufeld, Dr. Augustus, Fac. iur. & decanus: Programma:  
De causis, ab quas Henricus II Impres Bernhar-  
do successione in Incafuno Bramine Denegare  
potest., <sup>in ang. - - - praemissum.</sup> Gabrielis Christiani Lemble diss.  
seruationis in ang. - - - praemissum.
4. Heufeld, Dr. Augustus: De convenientia quorundam  
ius statutarum Lubecensis capitum cum legibus  
Westphalorum et speciatione susacensium.
5. Heufeld, Dr. Augustus, Fac. iur. & decanus: Programma:  
s. De successione in fendi imperio sub Carolingorum  
imperio fisci competente, <sup>in ang. - - - praemissum.</sup> Dr. Gustavus Nieper

1762.

... dissertationis in mea ... praemissum.

6. Haupelt, Fr. Augustus: De probatore per exempla  
seu Claviger documentorum.

7<sup>o</sup> Rane, Jacobus: De fundo pignoratatio. 2 fasci.  
(1 Manuscript).

8. Paris, Jacobus: De vera in vole donationis propter  
mutilias Romanas.

9. Schmidt, Jacob. Didermann: De diversitate et numero  
specierum in 652 Art. 5. T. P. V. . .

10. Schmidt, Jacob. Luttorius: De pignore principia gene-  
ralia

11. T. Mel, Gottlob Augustus: Omnes causas actionum Romanorum  
et impulacionem aperte do expositas.

12. T. Mel, Carolus Augustus: De fructibus ab usurpatione  
ante praestitam causione acquirendis.

1762.

13. Walckius, Carolus Fridericus: De actis minus plaus.

plu 1763.

1. Buderus, Christian Gottlieb, Fac. iur. prodecurus: Programma I.  
3. De formula Vacatus Saxoniae et Westphaliae etc. Impre-  
zante Friderico Rheubarbo Augusto ac sub Bernardo  
Arcario et Philippo Archipresceps Coloniensi "simulque  
Risortationem in ang. Antonii Hergberg indicit.
2. Buderus, Christian Gottlieb, Fac. iur. prodecurus: Programma II.  
3. De formula Vacatus Saxoniae et Westphaliae etc. Imperio.  
ac Friderico Rheubarbo Aug. ac sub Bernardo Aca-  
rio et Philippo, Archipresceps Coloniensi, simulque  
Risortationem in ang. Johanne Augusti Reichenst  
... in dicit.
3. Buderus, Christian Gottlieb, Fac. iur. prodecurus: Pro-  
gramma III: 3. De formula Vacatus Saxoniae et Westphaliae  
etc. imperante Friderico Rheubarbo Aug. ac sub Ben-  
ardo Arcario et Philippo Archipresceps Coloniensi

Simulque in de Dissertationem in ang. - Matthiae Volppmann

... indicati.

1. Steinbogius, Jo. Cyprius: De usurpatione matronae in locis  
armentitios liborum secundum ius Saxonicum  
spectato.

3. Hufeld, Jo. Augustus: De anchoritate rebus lac  
passionis in causa praesertim Illustrium.

6. Mockert, Jo. Nicoleus: De bona fide possessori singu  
lari & restituzione fructuum perceptuum non semper  
immunis.

7. Schmid, Achel. Ludov. Paul: De jure collectandi  
cum territoriali impostante non haud necessario  
2 Scrupl.

8. Schmidius, Paulus Geroldus: De lucis carente et  
anno emergente.

1763.

9. Titel, Petrus Augustus : *De eo, quod licet secundum legem naturalis summa necessitate argente*

10. Walchius, Carolus Fridericus : *De jure clerorum bona a parochibus adquisita et retribuenda*

Willy ist bestimmt nur durch Angabe  
seiner und Gog's el : Vogel und W. P.  
interf.

Angabe hat mich nun endg. auf  
1. Hirsch, 2. Lenz : Kompaktmäuse verfüllt  
und wurde von 1. nicht längst von jener  
wurde ich 2. längst von jener  
später. „Standard“ d. Hirsch und Lenz  
3. Hirsch, 2. Lenz. - I machte mich bei  
präzisionen zu einer präzisen Muster  
b. abweichen, 2. Abstand : Ich kann für präzise Eingangs-  
bez. & reibende Funktion präzise ein super  
präzise

1. Schmid, Robert. Lenz und Gog's entdeckt  
die territorialität repräsentativer hierarchie  
Zusam

2. Schmid, Robert. Lenz und Gog's entdeckt  
die territorialität repräsentativer hierarchie  
Zusam

D. IO. AVGVSTI HELLFELD

AVL. AVGVST. HELLFELD. NON PROFESSORIS COD. B.

NOV. DECIM. AVGVSTI PRAEFECTUS ACADEM. SCABIN.

COLLEG. SEM.

EPIC. FACULTATIS IVRIBUS. C. DECANI.

PROGRAMMA II.

DE

SUCCESSIONE EX IVRE  
COMMUNIONIS

AD EQUITATEM MARE DOCTISSIMI

CANDIDATI

GODOFREDI HENRICI HINTZE  
WISMARIENSIS

DISSERTATIONE INAGVRALI

DE

TYPE CREDITORVM VASALLI  
C. T. D. S. R. A. EX FESTIS

SCAR  
LITTERIS SCHILLIANIS  
c. selectis.

Alte Geschichte der Stadt Magdeburg

*G-28.num.29. 41a*  
*1763,6*

*20*

*H*

*DISSE*  
*TATIO IVRIDICA*

**DE  
BONAE FIDEI POSSESSORE  
SINGVLARI  
A RESTITVTIONE FRVCTVVM  
PERCEPTORVM NON  
SEMPER IMMVN**

**QVAM  
DEO AVXILIANTE**

**EX**

**ILLVSTRIS IVRECONSULT. ORD. CONSENSV  
PRAESIDE  
IO. NICOLAO MOECKERT**

**PHILOSOPHIAE ET IVRIVM DOCTORE**

**DIE XXI. OCTOBR. CIOIO CCLXIII.**

**ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT**

**AVCTOR**

**GOTHOFR. IVSTINVS GVLIELMVS  
SALZMANNVS**

**IENENSIS**

**IVRIS VTRIVSQUE CANDIDATVS.**

**IENAE  
CHARACTERIBVS MARGGRAFIANAE VIDVAE. 6)**



DIESER TATTO IN RIDGE

BONAE HABIT. PESSIMA SCORSE

IN HABIT. PESSIMA



§. I.

Argumentum excutere molimur, de quo non solum disputatur, sed etiam pronuntiata Collegiorum Juridicorum in vtramque partem exstant copiosissime deducta, ita, ut, qui interpretationes Iectorum, eorumque communes sequi velit opiniones, nesciat, in quamnam abire debeat sententiam. Sub iudice iam diu lis est, vtrum iure Romano bonae fidei possessor singularis fructus consumtos, quatenus ex iis locupletior factus est, oneri restituendi obnoxius sit? Et haec est quaestio, quam alii adfirmant, alii negant. Si lis dirimenda foret secundum multitudinem & numerum Iectorum, qui in hac illaue opinione maior fuisset, vix rem dirimendi facultatem quispiam conqueretur. Tanta enim varietate & incertitudine premitur haec quaestio, ut propemodum ex diuersitate temporis & scriptorum diuersam etiam adepta sit faciem. Quia in re si communem doctorum opinionem contra communem doctorum opinionem, & praxin contra praxin statuas, non errabis, cum quisque dissentientium suam ex praxi & obser-

uantia opinionem corroborare conetur. Quae diximus, HARTM. PISTORIS *a*) & SCHILTERI *b*) scripta egregie commonstrarunt. Etsi praxis iurisperiti sit anima, nec quicquam in iure sine ea perfectum cogitari queat, hac in quaestione tamen decidenda, si solum sequaris rationem & leges positivas, quippe quae sola sunt fundamenta cognitionis cuiuslibet Icti, tunc demum permetiris viam ad id, quod certum, quodque a vero non est alienum. Nostra aetate sententia negantium praefertur, nempe bonae fidei possessorum singularem ad fructus consumtos restituendos teneri, quatenus ex iis locupletior est. Cui sententiae ex iure Romano in primis assentientur viri illustres *i.* B. a WERNHER *c*) & A. de LEYSER *d*), qui etiam alios in eandem adduxerunt opinionem. Quamquam illorum merita in jurisprudentiam nunquam non iustissimis extolluntur laudibus, iisque vera pietate amplectendi sunt, eorum tamen auctoritas non tantum apud nos valet, vt ab eorum sententia non dimoueamur. Legibus diligentius perspectis potius sequimur viros perillustres *G.* A. STRVVIVM *e*) & LIEB. BAR. de LYNNCKER *f*), quondam illustris scabinatus Ienensis directores spectatissimos, quorum ille sententiam, qua bonae fidei possessor singularis fructus consumtos, quatenus ex iis locupletior est, restituere debet, vnu esse receptam, hic vero eandem non solum in Saxonia, sed etiam in imperio & ipsa Camera valere perhibet. Ne vero argumentum ventilare videamur, quod in foro nullius esset ponderis & momenti, perpendas quae speciem, de qua simili ratione fere quotidie in foro disceptari solet. Fac, Tullium bona fide possidere  
prae-

praedium tuum, & ex fructibus eius collectis, nondum praescriptis, & alienatis, quoad triginta millia auerorum, deducetis impensis, locupletiorem esse, ideoque quaestione moueri, vtrum tibi praedium vindicanti Tullius etiam teneatur restituere haec triginta millia aureorum? WERNHER & LEYSER alii que eam negant, quia bonae fidei possessor lucretur fructus consumtos. Qua ex decisione re vera dominus non mediocre sentit damnum. Ex nostra vero sententia infra vberius demonstranda ea recte repetit. In negantium sententiam quoque descendit EXCELLENTISSIMVS MADIHN<sup>g</sup>), Professor Halensis celeberrimus, isque eam non solum quoad fructus consumtos, sed etiam quoad fructus existentes amplectitur. Cum igitur oppositam sententiam non minus iuri naturae, quod etiam, si res dubia, sequendum est, quam legibus Romanis magis conuenientem defendere animus sit, primum, ut notiones quasdam premittamus: deinde probemus, ex iure naturae sequi, ut bonae fidei possessor singularis fructus consumtos, quatenus ex iis locupletior est, deuinctus sit: tum, idem ex iure Romano colligi, rationibus euincamus, tandemque argumenta a viris illustribus WERNHERO, LEYSERO & MADIHN nobis contraria, quae cuiusdam valoris esse videntur, infringamus & refellamus, necesse est.

## A 3 §. II.

a) Quaest. iur. lib. IV. qu. med. IV.  
XXV. pag. 608. seqq.

e) Syntagma. I. C. Exerc. XI.

b) Exercitatio. ad π. exer-

thes. XXIII.

cit. XVI. §. LIV. seqq.

f) Anal. ad STRVV. l. c.

c) Sel. obs. for. P. I. obseru.

g) in diss. de bonae fidei posses-

CCCXVIII.

sore singulari a restituzione fru-

d) Med. ad π. Spec. XCIX. Etuum perceptorum immani.

## §. II.

*Quid sit possessio, explicatur.*

Insatiabile noua proferendi studium etiam esse potest in caussa, cur vocabulum possessionis tam multiplicis & ancipitis sit significationis. *Possessio* enim non solum detentionem *a)* seu *κατοχην* *b)* denotat, affectionem tenendi *c)*, proprietatem *d)*, vsucaptionem *e)*; usum a proprietate distinctum *f)*, sed etiam rem, quae possidetur *g)*: ut taceam alios huius verbi significatus, quos larga manu offerunt BECHOV. ad TREVTLERVVM *h)* & BARN. BRISSONIVS *i)*. Quare non mirandum est, si AVG. de LEYSER *k)* doctrinam de possessione dicat intricatissimam. Hoc loco intelligimus possessione rei detentionem, seu physicam de re disponendi facultatem *l)*, & hanc ratione accipimus significationem generalissimam, ita, ut sine vitio ad reliquas veras possessionis species applicari queat. Illum, qui possessionem rei habet, dici *possessorem*, non eget explicatione.

## §. III.

*a)* I. XXXVIII. §. VII. de V. Obl.

*b)* I. I. princ. π. de acquirenda l. amittenda posselli. quod verbum quoque THEOPHILVS in Inst. tit. de interditis pag. 254. habet. Ita sunt eius verba: *κατοχην μεν εστι σωματικη πρεγραφης κατοχην*, & *possessio* quidem est corporalis rei detentio.

*c)* I. I. §. III. π. de acq. l. amitt. poss.

*d)* I. LXXVIII. ff. de V. signif.

*e)* I. XIX. π. ex quib. caus. maior.

*f)* I. CXV. π. de V. signif.

*g)* I. II. C. de omni agro deserto. I. II. C. vbi in rem actio exerc. deb.

*h)* Vol. II. Disp. XXI. thes. 1.

*i)* de Verb. signif. Libr. XIV. pag. 1078.

*k)* Med. ad pand. spec. CCCCLI. med. i.

*l)* Ill. NETTELBLADT Syst. elem. vnu, iurispr. posit. Tom. I. Sect. II. Tit. I. §. 215.

## §. III.

*Fundamentum diuisio[n]is possessionis.*

Plures diuisiones possessionis sunt possibiles. Cum vero eas solum sumus praemissuri, quae ad ea, quae sequuntur, explicanda faciunt, hae sunt notandae. Possessio est facultas physica de re disponendi. Duo igitur sunt potissimum hac in notione distinguenda: facultas seu animus disponendi, & res, de qua disponitur. Quodsi haec magis determinantur, oriuntur species.

## §. IIII.

*Definitiones bonae & malae fidei possessoris.*

Possessor rei est, qui de re disponit (§. II.). Qui vero de re quadam disponit ceu possessor, vel est in iusta ignorantia, cuidam ius, fortius suo, in rem competere, vel non: si hoc, *malae fidei possessor*, si illud cogites, *bonae fidei possessor* dicitur. Cum his definitionibus conueniunt leges. In SCto *m*) ex oratione diui HADRIANI orto, bonae fidei possessores dicuntur, qui iustas caussas habuerunt, quare bona ad se pertinere existimarent, & malae fidei possessores, qui bona inuaserunt, cum scirent, ad se non pertinere. Ex quibus non sine ratione colligitur, bonam fidem pendere ab ignorantia, & malam fidem a scientia, qua quis possidet rem alienam. Distinctius vero MODESTINV[S] explicat bonam fidem ira *n*): Bonae fidei emtor esse videtur, *qui ignorauit, eam rem alienam esse*, aut putauit, eum, qui vendidit, ius vendendi habuisse.

## §. V.

*m*) I. XX. §. VI. ff. de hereditate petit.

*n*) I. CIX. ff. de V. signif.

## §. V.

*Aliae definitiones hac de re reiiciuntur.*

Quae cum ita se habent, eos angustiorem suo definito suppeditare definitionem, constat, qui dicunt, bonae fidei possessorem esse eum, qui dominum rei se esse credit; &, definitionem suo definito latiorem componere, qui contendunt, malae fidei possessorem esse eum, qui non credit, se esse dominum rei, quam possidet. Potest enim, qui rem quandam inuenit, eamque sufficienti ratione publicauit, non detecto vero domino, eam retinere & bona fide possidere, et si rem non animo derelinquendi a domino amissam esse, sibi persuadeat. Ex his dictis adparet, opposita ratione illam definitionem malae fidei possessoris esse latiorem. Quam ob caussam rectius mecum consentit BORNEL. van BYNCKERSHOEK<sup>o</sup>), qui bonam fidem ex ignorantia oriri censeret.

<sup>o)</sup> In Observat. Iur. Roman. Lib. VIII. Cap. XII. pag. 319.

## §. VI.

*Quid sit possessor vniuersalis & singularis, explicatur.*

Possessor potest de re disponere. Si igitur rem subiectam, seu obiectum, vti dicunt, consideres, illud est vel vniuersitas rerum, vel minus. Illius intuitu oritur Possessor rei vniuersalis seu possessor vniuersalis: huius, *possessor singularis*. Vniuersitatem rerum dicunt complexum rerum communis nominis, quam denuo in uniuersitate iuris p) & in vniuersitatem facti q) diuidunt r). Iureconsulti autem visitatius

tatius alia ratione desinunt possessorem vniuersalem & singularem. Considerant enim titulum, quo quis rem possideat. Possessor vel rem titulo vniuersali, vel singulari, possidet; si prius intuearis, *possessor vniuersalis*, si posterius, *possessor singularis*), nuncupatur. Per *titulum* vero *vniuerſalem* intelligunt ius hereditarium. Etsi illas notiones secundum indolem rei esse compositas, censendum sit, tamen, quia has notiones aduersarii illius sententiae, quam defendimus, ponere videntur, consultius est easdem retinere, ut pugna evitetur verborum.

p) l. XX. π. de heredit. perit. notat. ad b. Struv. I. R. G. F. lib. I. XXXVII. π. de adq. hered. II. Tit XV. §. I. litt. p.

q) l. I. §. vlt. l. LVI. π. de rei vind. f) BERGER O. I. Lib. II. Tit. IV. §. LIV. not. VII. EXCELL.

r) vid. b. SCHAYMBVRGII an- MADIHN I. c. pag. 21.

### §. VII.

*Notio fructuum, eorumque diuisio.*

*Fructus*, si eos in significatione generali accipis, sunt emolumenta rei, quae percipi possunt. Quae emolumenta si a re nondum separata, *fructus pendentes*, si vero separata, *percepti* dicuntur: quorum quidem alii adhuc natura adsunt, vel minus. Illi adpellantur *exstantes*, hi vero *consumti*, qui modo *naturaliter consumti*, modo *civiliter consumti* sunt, prout possessor vel ob physicam, vel ob ciuilem consumtionem eas non amplius habet. Vtui loquendi iuridico recepto conuenire has notiones comprobant cordatores ICti, B. HVBERVS t), ILL. NETTELBLADT u), ILL. SCHIERSHMID x) & B. VINNIUS y). Ab aliis fructus ciuiliter consumti dicuntur *civiliter exstantes*.

B

t) Prae-

- t) Praelect. in Institut. lib. II.  
 Tit. I. §. XLVI. p. 114. seqq.  
 u) l. cit. Tom. I. Sect. I. tit.  
 XIII. §. CLX. pag. 94.  
 x) Elem. Juris civilis Lib. II.  
 Tit. I. §. IV.  
 y) Commentar. in Inst. Lib. II.  
 Tit. I. ad §. XXXV. pag. 180. seq.

## §. VIII.

*Fructus percepti minus recte definiuntur per eos, qui in eum statim redacti sunt, quem habeant, necesse est, si utilitatem praestare debent.*

Cum fructus perceptos diximus esse emolumen-  
ta rei, quae a re sunt separata: patet; a VIRO EX-  
CELLENTISSIMO MADIHN nos dissidere, qui in  
definiendis fructibus perceptis formauit definitionem  
definito latiorem. Ex eius sententia fructus perce-  
pti sunt illi, qui in eum statum sunt redacti, quem  
habeant, necesse est, si utilitatem praestare debent.  
Haec definitio etiam ad quosdam fructus pendentes  
adplicari potest. Nam gramen, herba, si terra ita  
prouenit, ut sit caedua, sed nondum caesa, sunt  
fructus, qui in eum statum sunt redacti, quem ha-  
beant necesse est, si utilitatem praestare debent, quia  
etiam depascendo utilitati esse possunt, etsi adhuc pen-  
deant. Et ipsae leges hanc definitionem notant. La-  
beo a) enim expressis verbis dicit: *Perceptionem fru-  
ctus accipere debemus, non si PERFECTI collecti, sed eti-  
am coepti ita percipi, ut terra continere sefi uictus desierint:*  
*veluti si oliuae, vuae lectae &c.* Ex qua lege sequitur,  
ut fructus percepti requirant, ut non solum in eum  
statum sint redacti, quem habeant necesse est, si vi-  
litatem praestare debent, sed etiam ut terra seu re  
contineri desierint. Si ergo dictam definitionem  
non

non satis determinatam, ideoque suo definito latiorem, iudicemus, a vero non est alienum.

z) in eius dissertat. cir. §. II. a) l. LXXVIII. π. de R. V.  
pag. 5.

### §. VIII.

*Quid sit dominus, quaeque eius sint iura.*

Dominus etiam possessor est (§. II.), at magis determinatus. Qui enim iure reali ex voluntate de re ipsa disponendi est praeditus, nomine *domini* venit. Inde colligitur, dominum non minus recte rem suam repetere posse ab alio ideoque vindicare, sed etiam sibi attribuere rei fructus.

### §. X.

*Si rem nostram naturaliter consumsimus, ea nemini est restituenda.*

Quibus praemissis, accendum est ad quaestione: vtrum secundum ius naturae bonae fidei possessor fructus consumtos, quatenus ex iis locupletior est, restituere debeat? Ad hoc argumentum excutiendum ea, quae sequuntur, notanda sunt. Si res nostra est, de ea possimus disponere ex arbitrio. Illa vero res, de qua iure disponimus, est eiusmodi, ut eius rationes reddamus nemini. Quo enim tempore de re quadam alii rationes reddere tenemur, illam rem omni ratione nostram habere nefas est. Inde sequitur; ut rem nostram, si naturaliter consumsimus, nemini restituamus. Quae si adplices ad fructus nostros, si consumsimus naturaliter, eos nemini restituendos esse, exploratum habebis.

B 2

§. XI.

## §. XI.

*Quod ex re percipimus, quam ad alium pertinere nos fugit, nostrum est.*

Si enim ex re, quam alienam esse, non credimus, emolumenta percipimus, eaque nobis adscribimus, neminem laedimus. Laesio enim sine turbatione rei alienae fieri nequit. Id quod sine laesione alterius nobis tribuimus, iure nostrum dici potest. Quare illud, quod ex re, quam alienam esse, nos fugit, percipimus, nostrum haberi potest. Sunt, quibus minus arridet haec argumentatio. Primum obiciunt, ex dictis sequi, ut dominus verus de re sua non semper pro lubitu disponere possit, quia alter, qui rem possidet, fructus rei interdum suos reddere queat, notionem vero dominii alia atque alia amplecti, contendunt. At vero domino semper inhaeret ius de sua re pro lubitu disponendi. Quodsi vero rem ab alio, qui eam alienam esse ignorat, possideri patitur, hic non sine iure fructus rei sibi tam diu adscribit, usque dum dominus rem repetit. Deinde alio argumento a quibusdam occurritur, qui arbitrantur, ex iis, quae demonstrata sunt, recte deduci, furiosum, re aliena usum, quam ob furorem alienam cogitare nequit, fructus semper iure lucrari posse, id vero repugnare ei, quod etiam furiosus damnum a se datum resarcire teneatur. Verum lis ita componitur. Furiosus, qui re alterius vtitur, vel fructus colligit inuitio domino, vel minus. Si posterius, neminem laedit, ideoque fructus recte suos facit. Volenti enim non fit iniuria. Cui accedit, quod furiosus etiam ita rem possidere possit, illaquevi, quam, vel si mentis compos foret esse alienam ignoraret. Neque hac ratione praefat damni

damni restitutionem. Si prius spectes, fructus rei su-  
riosus non facit suos, quia eum, si exercitio rationis  
fueretur, rem ad alium pertinere, non fugeret.

### §. XII.

*Bonae fidei possessor fructus rei possesse facit suos:  
at non malae fidei possessor.*

Bonae fidei possessor rem ita possidet, ut sit in  
iusta ignorantia, alii ius, fortius suo, in rem compete-  
re (§. III.). Qui vero ex re, quam esse alienam,  
ignorat, fructus percipit, facit suos (§. antecedente).  
Quare sequitur, vt bonae fidei possessor fructus rei  
possessae faciat suos. Malae vero fidei possessor scit,  
rem, quam possider, esse in dominio seu iure potiore  
alterius. Si igitur illa re vtatur inuitio domino, do-  
minum laedit. Constat ideo: malae fidei possessorem  
non fructus rei facere suos.

### §. XIII.

*Sola bona fides est in causa, cur bonae fidei possessor fructus  
percipiendo suos faciat.*

Ratio, cur bonae fidei possessor re aliena sine in-  
iuria erga alterum vtatur, est, quia verum dominum,  
seu eum, cui in rem fortius ius est adsignandum, igno-  
rat. Cum vero id nomine bonae fidei veniat (§. III.),  
sequitur, vt, quia cessante ratione, & id, quod ex ra-  
tione est, cessat, quidam tam diu re aliena recte vt-  
atur, quamdiu est in bona fide. Ex quibus manifestum  
est solam bonam fidem esse causam, cur possessor  
fructus rei possessae suos faciat. Idem etiam hac ra-

tione euincitur. Si bona fidei possessor fructus rei possessae suos facit, tria recte distinguenda sunt: bona fides, perceptio fructuum & eorum consumtio. At neque perceptio neque fructuum consumtio, qua talis, est causa, cur bona fidei possessor lucretur fructus, quia alias malae fidei possessor illos lucrari posset, cum saepenumero fructus rei mala fide possessae percipiat & consumat. Sed hoc antecedenti paragrapho repugnat. Quare restat sola bona fides, qua fructus, si eos colligat, possessor facit suos.

### §. XIII.

*Bonae fidei possessor fructus naturaliter consumtos non restituit.*

Priusquam comprobatum damus, bona fidei possessorem fructus ciuiliter consumtos domino, rem vindicanti, restituere teneri, perspicuitati rerum ostendere non repugnabit, bona fidei possessorem ad fructus naturaliter consumtos restituendos domino rei non esse obligatum. Bonae enim fidei possessor fructus ex re possessa perceptos facit suos (§. XI.). Quisque suos rei fructus naturaliter consumere potest (§. VII. & IX.), consumtosque nemini restituere tenetur (§. X.). Quare colligitur, bona fidei possessorem a restitutione fructuum naturaliter consumtorum esse immunem.

### §. XIV.

*Bonae fidei possessor fructus ciuiliter consumtos, quatenus ex iis locupletior est, restituere debet domino superuententi.*

Bona fides est causa, cur possessor fructus rei lucrari queat (§. XII.). Quodsi igitur dominus rem

rem suam vindicet, possessoremque, rem sibi competere, conuincat, destruitur bona fides possessoris (§. III.), ideoque causa percipiendi sibi que attribuendi fructus (§. XIII.). Verus dominus rem suam recte repetit & ea, quae ex re sua orta sunt (§. VIII.). Cum igitur fructus ciuiliter consumti seu fructus ii, ex quibus possessor adhuc locupletior est, ex re possessa existant, ut possessor eos domino superuenienti restituat necesse est.

### §. XVI.

*Idem ab aliis adfimatur.*

Sententiam, quam defendimus, viri, eruditione absoluta & fama vera inter omnes conspicui, confirmant. GROTIUS, amplificator ille iuris naturalis, hac de re ita sendit b): *Qui dominus est rei, idem est naturaliter dominus rei fructuum: appareat igitur, bonae fidei possessorum teneri ad restitutionem et retinet fructuum consumitorum, si modo alias quoque tantundem consumuntur fuerat: nam in hoc locupletior censetur.* Inter recentiores sufficiat vnum nominale, virum illustrem NETTELBLADT, aequo philosophum ac iureconsultum, cuius verba haec sunt c): *Quilibet possessor ciuilis, quamvis alias non probauit, rem, quam possidet, suam esse, omnia iura competitia, tam ea, quae versantur circa dominium ipsum, quam quae versantur circa rem in dominio existentem exercet.* Postquam vero dominus dominium suum probauit, quilibet possessor ciuilis rem ipsam domino restituere dehet, & si fuit possessor bonae fidei, omnem rei vsum, quem percepit durante possessione, quatenus ex eo usu adhuc est locupletior cum fructibus a re nondum sepa-

*separatis & accessionibus naturalibus reliquis, quae ad rei dominum pertinent.*

b) de I. B. & P. L. II. Cap. X. §. V. & VII. c) Systema elem. vniu.iurispr. natural. P.I.§.CCXXXVIII.p.99.

### §. XVII.

*Ergo etiam bonae fidei possessores, vniuersalis & singularis, fructus consumtos rei possessae, quatenus ex iis locupletiores sunt, restituere debent.*

Quidquid de genere vniuerso dicitur, etiam de iis, quae sub illo continentur, recte dicitur. Cum igitur possessor bonae fidei vel sit vniuersalis vel singularis, nec horum differentia specifica, sive eum titulum, quo possidetur, sive rem possessam respicias, nostrae sententiae repugnet (§. III.), vtrumque frumentum, ex re vero domino retradenda consumtorum, quatenus ex iis locupletior existit, restitutioni esse obnoxium, colligendum est.

### §. XVIII.

*Disquiritur, vtrum ius Romanum hac in re iuri naturae regugnet.*

Quae a nobis dicta sunt, satis, credo, comprobant, ex iure naturae sequi, ut bonae fidei possessores, vniuersalis & singularis, fructus exstantes & consumtos, quatenus ex iis lucrum habent, restituere debeant. Venimus igitur ad eam quaestionem: vtrum ius Romanum sententiam hac in re iuri naturae foueat contrariam? In eo conueniunt Iureconsulti, possessorem vniuersalem ad restituendos fructus ciuiliter consumtos teneri, cum id leges expressis praeципiant

cipient verbis. Quod vero ad possessorum bonae fidei singularem, in alia atque alia abeunt iurium doctores. Nos, vti diximus, sententiam eorum ictorum, qui, bonae fidei possessorum singularem a restitutione fructuum ciuiliter consumtorum esse immunem, negant, sequimur, rati, eam magis cum iure romano conuenire, quam ei repugnare. Qua vero quaestione probata, copiosiori demonstratione, bonae fidei possessorum singularem etiam ad fructus exstantes domino rem vindicanti restituendos esse obstrictum, non erit opus.

### §. XVIII.

*Bonae fidei possessor rei indebitae ad restituendos fructus ciuiliter consumptos obligatur.*

Primum argumentum petituri sumus ex doctrina indebiti. Explicare, quid sit indebitum, deinde, possessorum rei indebitae non solum fructus exstantes sed etiam consumtos, quatenus ex iis locupletior est, restituere debere, animus est. *Indebitum est*, quod alias ex nostris bonis sine obligatione nostra possidet. Sic P A V L V S d) effatur: *Indebitum est non tantum, quod omnino non debetur, sed & quod alii debetur, si alii solvatur; aut si id, quod alius debebat, alius, quasi ipse debat, soluat.* Cui adiungendum est PAPINIANVS e), qui idem sentit: *Haec conditio scilicet indebiti, inquiens, ex bono & aequo introducta, quod alterius apud alterum sine causa deprehenditur, revocare consuevit.* Quibus ex legibus sine vitio generalior formari potest notio, *indebitum esse*, quod alter sine causa retinet vel possidet. Cum veteres Icti nihil magis quam ius naturae sequentur,

C

rentur,

rentur, fieri non poterat, quin etiam hac in quaestione dirimenda vterentur legibus naturalibus. Idque est in caussa, cur leges romanae comprobent, bonaे fidei possessorem indebiti non solum ad fructus exstantes, sed etiam consumtos, quatenus ex iis locupletior existit, restituendos, esse obligatum. Duplex hanc ab caussam denunciamus Paullo testimonium, qui in libro X. ad Sabinum f) hac ratione facit sermonem: *Indebiti soluti condicō naturalis est, & ideo etiam, quod rei solutae accessit, venit in conditionem, ut puta, partus, qui ex ancilla natus sit; vel quod alluvione accessit; inno & fructus, quos is, cui solutum est, bona fide percepit, in conditionem veniunt;* & in libro XVII ad Plautium g) hoc modo verba facit: *In frumento in debito solutu & bonitas est: &, si consumst frumentum, pretium repetet. Sic habitatione data, pecuniam condicām: non quidem, quanti locare potui, sed quanti tu conducturus fuisses. Si frumentum indebitum tibi dedi, cumque manumisisti, si sciens hoc fecisti, teneberis ad pretium eius: si nesciens, non teneberis: sed propter operas eius liberti, & vt hereditatem eius restituas.* Ex priore lege in aprico est, bonaе fidei possessorem rei solutae indebitae fructus perceptos & certe exstantes restituere teneri, quia differtis verbis, fructus, quos bona fide percepit possessor, in conditionem venire dicuntur. Cum vero percepti fructus aut sunt exstantes, vel consumti (§. VII.), bonaе fidei possessor ex illa lege aut exstantes, aut consumtos, aut vtrosque restituant, necesse est. Hoc illudue concedit aduersarius vel non. Si prius propositio illa extra dubium posita est: si posterius consideretur, certe ex illa lege sequitur, vt exstantes fructus sint restituendi. Nam positio genere recte

ad

ad species alternatiue ponendas colligendum, & alteru-  
tra specie nagata , altera assumenda est. Ex posteriore  
lege variis rationibus conficitur, bonae fidei possesso-  
rem oneri restitutionis fructuum consumtorum, quate-  
nus ex iis locupletior est factus, esse obnoxium. Primum  
enim praecipitur, ex frumento consumto, tanquam  
fructibus consumtis, lucrum existans, seu pretium, ve-  
ro domino esse restituendum. Deinde si aedes alicui  
ad habitationem datae sunt; is tantum, in quantum ex  
illa locupletior factus est, restituere debet. Non  
equidem omne lucrum, quod ex ista habitatione ori-  
ri potuisse, sed illud, quod ille ideo habuit, quia  
aedes alias conducere non debuit. Denique si cui  
seruus indebitus datus est, possessor nesciens eum ma-  
numisit, non tenetur ex manumissione, quia inde non  
locupletior factus est, sed ideo, quia ex vsu &  
consumtione operarum illius liberti , lucrum habet. Id,  
quod quoque est in causa, cur idem ICtus bona fidei  
possessorem serui hereditatem ob ipsam acquisitam re-  
stituere iubeat. Quibus ita comparatis, profecto ne-  
mo facile, qui leges dedita opera perleget, possesso-  
rem lucrum ex re bona fide, consumta existans resti-  
tuere debere, multo minus in dictis legibus de emolu-  
mentis ideoque fructibus rerum sermonem esse, insi-  
tias ibit.

d) l. LXV. §. fin. π. de con-  
dit. indeb.

e) l. LXVI. cit. tit.

f) l. XV. pr. alleg. tit.  
g) l. LXV. §. VI. VII. & VIII.

ead tit.

### §. XX.

*Ergo bona fidei possessor singularis fructus existentes & ciuiliter  
consumto restituere tenetur.*

Priusquam mittimus hoc argumentum, ut quae-  
dam annotemus, necessarium est. Sunt enim, qui-  
bus

bus hic argumentandi modus dubius videtur. In primis ambigunt animo, vtrum a possessore indebiti ad possessorem bonae fidei singularem concludi queat. At eo minus dubitari potest, quo maior conuenientia inter vtrumque patet. Primum enim possessorem indebiti etiam esse possessorem singularem, comprobant exempla in legibus paragraphi antecedentis allegata. Potius species & res singulares in illis legibus continentur, quam vniuersitas & hereditas. Deinde non minus extra omnem dubitationem positum est, indebitum esse, et si adsit bona fides. Leges enim eadem hanc rem exploratam reddiderunt. Tandem possessorem indebiti titulo, qui est in bonae fidei possessore, saepenumero esse ornatum, exhibent PAPNIANVS *b*), POMPONIUS *i*), & PAVLVS *k*). Quae, si omnia inter se compares, certe quosdam fidei possessores singulares quoad restitutionem fructuum ciuiliter consumtorum teneri yidebis. Non enim hoc vinculum obligationis omnibus bonae fidei possessoribus indistincte adscribimus, cum rem variat minima res circumstans, sed sufficit, nos probare, ex iure romano, quosdam bonae fidei possessores singulares necessitate duci ad fructus ciuiliter consumtos restituendos. Qua quaestione ita decisa, negantium sententia, ex iure romano bonae fidei possessorem singularem a restitutione fructuum, et si ex iis locupletior sit, esse immunem, explosa est & excussa.

*b*) l. III. *z*. de condict. in-  
debiti.

*i*) l. XVIII. eod.  
*k*) l. LXV. §. II. cit. tit.

## §. XXI.

*Fructus consumti sunt, ex quibus possessor non est locupletior.*

Aliud argumentum deduci potest ex eo, quod secundum leges verba *fructuum consumtorum* sine additamento posita exprimunt fructus, ex quibus nihil amplius restat. Etsi equidem non negetur, vocabulum consumere generaliori passim occurrere significatu, illa tamen significatio est visitior. Quodsi igitur leges bonae fidei possessorem fructus consumtos lucrari iubent, tantum abest, ut ex iis sequatur, ut bonae fidei possessor non obligatus sit ad fructus consumtos, quatenus ex iis locupletior est, restituendos, ut potius omnia, quae ex fructibus consumtis adhuc supersunt, restituere teneatur. Quocirca nobis duae propositiones sunt probandae. Altera, fructus consumti sunt, ex quibus possessor non est locupletior: quam alia excipit; bonae fidei possessor lucratur naturaliter consumtos, & restituere tenetur fructus consumtos, quatenus ex iis locupletior factus est. De illa in hoc, de hac in sequenti paragrapgo agendum est. Priorem propositionem corroborant variae leges. Ex quibus solum quasdam allegare sufficiat. Primum det testimonium PAVLVS I), qui lib. I. sententiarum his vtitur verbis: *Restitutio autem ita facienda est, ut unusquisque in integrum ius suum accipiat. Itaque si in vendenao fundo circumscriptus restituetur, iubeat praetor, emtorem fundum cum fructibus reddere & pretium recipere, nisi, si tunc dederit, cum eum perditurum non ignorari: sicuti facit in ea pecunia, quae in consumturo creditur.* In hac lege filiusfamilias dicitur restitutionem petere posse in

caussa venditionis & mutui, ita, vt pretium & pecuniam restituat, nisi illud perdiderit, & hanc consumserit. Cum igitur notissimi sit iuris, minorum, quatenus versio in rem doceri potest, pretium restituere debere, ex illa lege constat, perdere & consumere esse synonyma, & consumatum illud denotare, de quo quis non est factus locupletior. Cum iisdem conuenit, quod PAVLVS in libr. I. quaest. m) profert. Sic ille: *videamus, si heres, ad quem aliquid peruererit, consumserit id, quod peruenit, definit teneri: an vero sufficit, semel peruenisse? Et si consumto eo dececerit, virum aduersus heredem eius omnino competit actio, quoniam ad secundam heredem nihil peruenit: Et melius est, omni modo competere in heredem heredis actionem, alioquin dicendum erit, nec ipsum, qui consumfit, quod adeum peruenit teneri.* In hac lege quaestio, vtrum contra heredem heridis actio concedatur, et si hic, quod ad ipsum ex hereditate peruenit, consumserit, nec quicquam ad illum peruererit, ita dirimitur, vt heres heredis omnino teneatur. Quibus consideratis, consumere, & ad aliquem nihil peruenire, sunt eiusdem significationis. Eadem ratione VLPIANVS ad Edictum n) dissertis verbis confirmat, consumatum denotare id, ex quo quis non est locupletior, cum *locuples esse & consumere aliquid opposita ab eo habeantur.* Intuearis eius verba: *Adeo autem, qui locupletior factus non est, non teneatur, nam et si is, qui heres non erat, totum quidquid apud se fuit, consumisset, sine dubio non tenetur, quasi locupletior non factus.* Omnim optime exponit PAPINIANVS veram significationem vocabuli *consumere*, his verbis o): *Non absumitur, quod in corpore patrimonii retinetur.* Quae si omnia animo perendantur, vt ad alias leges

ges

ges p) idem indicantes copiosius prouocemus, neceſſe non eſt. Vix igitur quispiam, consumtum eſſe & nihil amplius restare, eſſe eadem, ideoque fructus consumtos eſſe eos, ex quibus aliquis non eſt locupletior, negabit.

- U* l. XXIV. §. IV. π. de minor.
- m)* l. XVII. π. quod metus
- cauſa gest.
- n)* l. XXIV. §. XV. π. de he-
- red. pet.
- o)* l. LXXII. π. de legat. 2.
- p)* l. XVI. π. de bonorum pos-
- ſe f. contra tab. l. XXVIII. pr. π.
- de donat. inter vir. & vxor. l.
- VIII. π. emto l. XXII. π. de
- negot. gest. l. VIII. C. de donar.
- int. vir. et vxor coll. l. XX. C. de
- iure dotorum l. IX. in fin. §. vlt. π.
- de iuris & facili ignorantia conf.
- HARTM. PISTORIS quaest. iur.
- Lib. IV. qu. XXV. n. IX. p. 614.
- CARPZOV. P. III. Cap. XXIII. def.
- XXVIII. n. XXIII. p. 1238.

### §. XXII.

Bonae fidei poſſeffor lucratur naturaliter consumtos, ſed ciui-

liter consumtos fructus debet rifuſuere.

Bonae fidei poſſefforem ex iure romano fructus naturaliter consumtos lucrari, conſtat ex tritissima illa lege, cuius verba ita a PAVLO q) tradita legimus:

*Post item confeſtam etiam fructus venient in hoc iudicio;*  
*nam & culpa & dolus exinde praeftantur. Sed ante iudi-*  
*cium percepti, non omni modo hoc in iudicium veniant aut*  
*enim bona fide percepit, & lucrari eum oportet, si eos con-*  
*sumfit, aut mala fide, & condici oportet. Cum alii in ex-*  
*plicanda hac lege ſenſum a vero alienum enucleare vi-*  
*dentur, non omnem operam perdere arbitramur, ſi*  
*& nos de illa mentem exponamus, eamque ita pro-*  
*ponamus, uti, quae antecedunt & conſequuntur, id*  
*exigunt. In diſta lege Ictus, facta a iudice ex arbi-*  
*trio*

trio circa fines totius agri vel vnius loci contiouersi  
diuisione, ab eo quoque eius, quod interest & fru-  
etuum esse habendam rationem, contendit, & quoad  
eos ita accurate & apte distinguit, ut solum tunc ve-  
rus indagetur sensus, si pressis pedibus auctorem legis  
sequamur. Ipse ICtus paragraphum legis in medium  
prolatae in duo capita rescindit. Prius sine vlo dis-  
crimine facto componit, posterius vero variis adhi-  
bitis distinctionibus. Res, de quibus lex agit, sunt  
fructus percepti, qui modo post litem contestatam,  
modo ante litem contestatam considerantur. Si per-  
cepti fuerint post litem contestatam, restituendi sunt,  
ex adlata ratione, quia culpa & dolus exinde praes-  
tantur. Habebatur enim olim tempus litis contesta-  
tionis; id, quo quis inciperet mala fide esse r). In  
praesenti hanc partem legis non curamus, sed potius  
contemplatur sumus fructus ante litis contestationem  
perceptos. Quos si perquiras, possessor eos aut bo-  
nae fidei percepti, aut mala fide. Si posterius spectes,  
restituantur necesse est, ideoque repetenti recte detur  
condicō: si vero prius intuearis, PAVLVS eos bo-  
nae fidei possessor non indistincte adiudicat, sed de-  
novo distinguit. Bonae fidei possessor, qui percepti  
fructus, vel eos consums̄it, vel securus: si illud con-  
sideres, eos lucratur, si hoc, non lucratur, sed resti-  
tuere deberet. Qaa ex parte legis etiam hae proposi-  
tiones perspicuae sunt, & oculis quasi iudicari pos-  
sunt: primum, bonae fidei possessor lucratur fructus  
naturaliter consumtos, deinde, non vero civiliter  
consumtos, sed potius vero domino rei danda est  
condicō. Illa ideo cum vero conuenit, quia con-  
tinet ipsa verba legis & (§. antec.) rationibus gra-  
uissimis

uissimis & argumentis firmatum est, verba: *consumtorum fructuum* eos denotare, ex quibus consumens non locupletior est. Cum igitur fructus, ex quibus nihil restat, naturaliter consumti sunt (§. VII.); sequitur ex nostra lege, ut bona fidei possessor eos lucretur. Ex hac propositione legis facillimo negotio altera deduci potest. Etsi quidem haec non eadem perspicuitate ac illa manu teneri queat, nulla tamen ratione negare fas erit, in ipsa lege eam contineri. Ex lege probauimus, bona fidei possessorum lucrari fructus naturaliter consumtos. Inde sequitur, vt, si eos non naturaliter consumserit bona fidei possessor, eos debeat restituere, partim, quia haec verba legis, si eos scilicet naturaliter consumsunt, tamquam conditio strictae interpretationis sunt, partim, quia verba finalia legis dictae, & condici oportet, non solum vindicanti conditionem concedunt, si possessor malae fidei fructus percepit, sed etiam, quando bona fidei possessor fructus percepit, sed nondum naturaliter consumsunt. Cum vero fructus, ex quibus aliquid superest, naturaliter consumti non sint, sed potius civili- ter consumti dicantur, bona fidei possessorem fructus consumtos, quatenus ex iis locupletior est, restituere debere, exploratum perspectumque habemus. Sententiam igitur iisdem armis, quibus alii eam impugnant, recte defendimus.

q) I. IIII. §. II. π. fin. regun, possessoris oriri, abunde argumentis probauit AVG. DE LEYSER med. ad π. spec. LXXXIII. med. V.

r) Non vero semper ex litis contestatione sola Malam fidem

## D

## §. XXIII.

§. XXIII.  
Refutatio interpretationis cuiusdam legis IIII.  
s. II. fin. reg.

A recta via Virum Excellent, MADIHN, ICtum Halensem longe celeberrimum, in explicanda hac lege aberrare, commonstrare diceat. Ne verò sine iure id moliri videamur, verba ipsa illius interpretationis huius legis proferamus, ut simul verborum euitemus pugnam, eaque non exhaustire sensum legis, clarius ostendamus. Hoc vero modo legem interpretatur s): „Si penitus inspicimus legem, facile adparet loqui „ICtum non de omnibus fructibus, sed de fructibus „consumptis, duasque species formare. In una specie „bonae fidei possessoris lucro fructus consumptos ce- „dere adfirmat, in altera vero domino conditionem „aduersus malae fidei possessorem concedit. Mani „festum est, ICtum Species contradictorie oppositas „formare, atque idem decisum in sua sententia latet, „ac si dixisset: si de fructuum consumptorum restitu- „tione quaestio incidit, vel bonae fidei possessor eos „percepit, vel malae fidei possessor; si posterius, „condictio domino datur, si vero prius, bonae fidei „possessorem eos lucrari oportet, atque ideo condi- „ctio domino superuenienti deneganda. At primum a vero est alienum, ICtum in hac lege loqui de fru- „ctibus consumptis, & intuitu horum formare duas spe- „cies: verba potius facit de fructibus perceptis. Con- „sideretur, quaeſo, ſolummodo ipſa lex. Obiectum, vt dicere ſolent, huius legis ſunt fructus percepti, & ra- „tione horum ICtus vario modo diſtinguit. Poterat quis nobis occurrere, tantam ἀναβείαν non requiri, & ſuf- „ficer, in hac lege ICtum etiam de fructibus consumptis loqui.

loqui. At ei respondemus, alios esse fructus consumtos, alios fructus perceptos, & ex diuersitate horum diuersas etiam sequi conclusiones & decisiones. Si diuersa non distinguimus in verbis, superuacanea est omnis disputatio & vana. Expressis vero verbis in lege ponuntur fructus percepti, & fructus consumti solummodo tamquam exceptio vel potius conditio quaedam in illa occurunt. Ita manifestissima sunt verba illius legis: *Post litem contestatam etiam fructus venient in hoc iudicio.* Sed ante iudicium PERCEPTI non omni modo hoc in iudicium venient, aut enim bona fide percepit, & lucrari eum oportet, si eos consumsit, aut mala fide; & condicione oportet. Deinde veritati repugnat, I<sup>C</sup>tum ita distinxisse & respondisse: si de fructuum consumtorum restitutione quaestio incidit, vel bonae fidei possessor eos percepit, vel malae fidei possessor; si posteriorius, conditio domino datur, si vero prius, bonae fidei possessorem eos lucrari oportet, atque ideo conditio domino superuenienti deneganda. Nec perspicimus rationem, cur distinctiones I<sup>C</sup>ti fugiamus. I<sup>C</sup>tus quidem duas species format, sed non solas: alterutram enim de novo diuidit, id quod a VIRO EXCELLENTISSIMO anno-tatu dignum non iudicatum fuisse miramur. Quid clarius verbis I<sup>C</sup>ti, quibus hanc quaestionem ita excutit? Quod ad fructus a possesso ante litem contestatam, ille aut bona fide percepit, aut mala; si posteriorius, conditio locum habet: si prius, vel eos consumsit, vel non; si illud, lucratur eos; si hoc, etiam condicione oportet. Hae posteriores species luculentissime his verbis I<sup>C</sup>ti exprimuntur: *aut bona fide percepit, & lucrari eum oportet, si eos consumsit.* Altera est expressa, scilicet bonae fidei possessor fructus per-

ceptos lucratur, si eos consumsit: altera inde sequitur, vt bonae fidei possessor fructus perceptos non lucretur, si eos non consumsit.

s) in laudata diff. §. V. p. 16.

### §. XXIII.

*Bonae fidei possessor vniuersalis fructus ciuiliter consumtos restituere debet, ideoque etiam bonaē fidei possessor singularis.*

Progredimur ad tertium argumentum, ex bonaē fidei possessore hereditatis deducendum. Bonae fidei possessorem hereditatis fructus consumtos, quatenus ex iis locupletior factus est, restituere debere, omnes vno ore consenserunt. Ita enim volunt leges clarissimae t.). Sed si quaestio mouetur, vitrum ideo bonaē fidei possessor singularis etiam fructus ciuiliter consumtos restituere teneatur, visitatius eam negant. Nos vero non dubitamus, quin adfirmemus, bonaē fidei possessorem singularem eadem ratione, ac bonaē fidei possessorem vniuersalem ad fructus ciuiliter consumtos domino restituendos esse obstrictum. Primum ob paritatem rationis. Ratio enim, cur bonaē fidei possessor ad restituendos fructus, quatenus ex iis lucrum habet, sit obligatus, est aequitas. Hoc PAVLVS in oratione diui HADRIANI propositum esse tradit u.). *Disquirite, Patres conscripti, num quid sit, aequius possessor non facere lucrum et pretium, quod ex aliena re percepit reddere, quia potest existimari, in locum hereditariae rei venditae pretium eius successisse et quodammodo ipsum hereditarium factum.* Inde colligit PAVLVS: oportet igitur possessorem et rem restituere petitori, et quod ex venditione eius rei lucratus est. Quae si conferas cum iis, quae

quae VLPIANVS ad ICtum hac de re habet  $\alpha$ ), quo modocunque has leges interpreteris, haec enascitur propositio: est iniquum, possessorem ex re' aliena lucrum, vtcunque perceptum, non restituere. Cur, quaeſo, non idem valere debet in iudiciis singularibus? Forsan in his minor aequitas adhibenda eſt, quam in iudiciis vniuersalibus? Id certe de ICtis romanis dici nequit, qui ius naturae ſequuti, aequitatem, vel ſolemnibus & ſtricto iuri praetulerunt. Secundum ob conuenientiam, bonae fidei poffefforis vniuersalis & singularis. Vrterque in bona fide, poffeffione, conuenit, praeter rem, quam poffidet, ita, vt ille hereditatem & hic rem non hereditariam poffideat. At ex re poffeffa ius percipiendi fructus non eſt petendum, ſed ex bona fide (§. XII.). Cum vero haec vtrique adſcribenda ſit, non eſt ratio, cur in iudiciis singularibus non idem ius, & obligatio, ac in vniuersalibus, ſit ſtatuen- dum. Cum igitur a bonae fidei poffeffore in iudiciis vniuersalibus fructus consumti, quatenus ex iis locu- pletior eſt, ſunt restituendi, etiam in iudiciis singulari- bus eidem nexui obligationis poffefforem obnoxium eſte, fas eſt. Terrium veroſimile argumentum petitur ex eo, quia ICtū romani Sētū laudatum non neceſſario ad hereditatis petitionem reſtringunt, ſed etiam ad alia iudicia iure ac merito extendunt. VLPIANVS ea, quae Senatusconsultum auſtore HADRIANO ſanc- uit, applicat ad iudicium familiae ercifundae  $\gamma$ ): *Hoc Sētū, aiens, ad petitionem hereditatis factum etiam in familiae ercifundae iudicio locum habere placet.* Idem ICtus alio loco  $\alpha$ ) ad alia, quam hereditatis petitionem & iudicium familiae ercifundae, extendit. *In priua- torum quoque petitionibus Sētū locum habere nemo am- bigit,*

bigit licet in publica causa factum sit. Non solum cudem in hereditate vitimur Sc̄to, sed et peculio caſtrenſi, vel alia vniuersitate. Sed quem fugit, rei vindicatione vniuersitatem repeti posse? Certe VLPIANVS id expressis verbis contendit a): Per hanc autem actionem, scilicet rei vindicationem, non solum singulares vindicabuntur, sed posse etiam gregem vindicari, Pomponius libro lectionum XXV. scribit: idem, de armento, et de equitio, caeterisque, quae gregatim habentur, dicendum est. Ex quibus manifeste deprehenditur, illud in rei vindicatione ideoque in iudicio singulari iuris esse, quod in hereditatis petitione legitime exigi potest. Hucusque probabilibus argumentis confirmauimus, Sc̄tum illud ad alias actiones et in primis ad rei vindicationem extendum esse, ut non solum verosimile, sed etiam certum sit et expeditum, ab illo ad hanc ab ipsis Ictis romanis concludi. Testem allegamus PAVLVM, qui manifestissimum illud comprobat verbis b): Sed & is, qui ante item confeſtatam dolo desuit rem possidere, tenetur in rem actione: idque ex Sc̄to colligi potest, quo cautum est, ut diximus, ut dolus praeteritus in hereditatis petitionem veniat: cum enim in hereditatis petitione, quae & ipsa in rem est, dolus praeteritus fertur, non est absurdum, per consequencias, & in speciali in rem actione dolum praeteritum deduci. Cum igitur dictum Sc̄tum etiam locum habeat in rei vindicatione, si sermo sit de restitutione rerum ex dolo, noli adest ratio, cur non applicari queat ad rei vindicationem, si agatur de restitutione rerum, vbi non dolus adest, sed potius bona fides. Quis non videt, eos quam maxime a vero esse alienos, qui, Sc̄tum illud solum ad hereditatis petitionem esse concessum, contendunt, cum legibus ipsis recte ad alia

alia extendatur. Et profecto aliter fieri non poterat, cum Iachi veteres non simulatam philosophiam sequentur, nec verbis, sed rebus, inhaererent, ideoque aequitatem non in hac, sed etiam in alia amplectentur specie.

- |                                  |                                 |
|----------------------------------|---------------------------------|
| t) l. I. C. de petit. hereditat. | a) l. I. §. III. π. de R. V.    |
| u) l. XX. π. cit. tit.           | b) l. XXVII. §. III. eod. conf. |
| x) l. XXV. pr. π. eod.           | SCHILTER exercitat. XVI. §. LV. |
| y) l. cit. §. XIX. eod.          | pag. m. 65.                     |
| z) l. XX. §. VIII. et X. eod.    |                                 |

### §. XXV.

*Premium succedit in locum rei & v. v., non solum valet in  
vniuersalibus, sed etiam in rebus singularibus.*

Contrarium argumentum, quo nobis occurritur ratione probationis in paragrapto antecedente datae, consistit in eo, quod in hereditate solum valeat regula: premium succedit in locum rei & res in locum pretii. Cum igitur illa in iudiciis singularibus deficeret, rationem adesse, contendunt, cur ea, quae in hereditatis petitione dicta sunt, de singularibus dici non possint. Quo arguento non tantum omnes vtuntur, qui contrariam fountent sententiam, ideoque rem suam satis demonstrasse, & differentiam, cur bonae fidei possessio vniuersalis fructus consumtos, quatenus ex iis locupletior est, restituere debeat, at bonae fidei possessio ab hoc onere restitutionis non imminus sit, abunde ostendisse, sibi persuadent. Ast, et si dicta regula in hereditate tamquam vniuersitate juris locum habeat c), tamen neque sine omni restrictione, neque solum in illa, cum etiam magna ex parte in iudiciis singu-

singularibus, si aequitatis est, recte adhibendam esse, ipsae confirmant leges. Quam ob caussam duas probabimus propositiones. Prior est: in hereditate non semper res succedit in locum pretii. Proutocamus ideo ad VLPIANVM, cuius testimonium propositionem illam euictam & comprobata dedit his verbis d): *Si rem distraxit, et ex pretio aliam rem comparavit, veniet pretium in petitionem hereditatis, non res, quam in patrimonium suum conuertit: & alio loco idem confirmavit. Item veniunt in hereditatem etiam ea, quae hereditatis caussa comparata sunt, ut puta mancipia, pecora, et si qua alia, quae necessario hereditati sunt comparata, sed non omnia, quae ex hereditaria pecunia comparata sunt, in hereditatis petitionem veniunt.* Denique scribit Iulianus Lib. VI. Digestorum: *si possessor ex pecunia hereditaria hominem emerit, et ab eo petatur hereditas, ita venire in hereditatis petitionem, si hereditatis inter sit eam emi, at si sui caussa emit, pretium venire.* Ex quibus satis liquet, in hereditate non semper rem succedere in locum pretii. Transimus ad propositionem posteriorem: pretium succedit in locum rei, non solum in hereditate, sed etiam in re alia et singulari. Posteriorem tantum partem propositionis probabimus, quia prior non negatur. In illa vero parte posteriori duae continentur simplices propositiones, quarum singulam seorsim excutere liceat. Altera est, pretium succedit in locum rei singularis: altera, res succedit in locum pretii etiam in iudiciis singularibus. Priorem his corroboramus argumentis. Quem eorum, qui iurisprudentiam colit, praeterit, verum dominum posse repetere pretium ex re sua a bonae fidei possessore alienata ortum, quo hic adhuc locupletior

pletior existit? quanam ex causa? nonne ideo,  
 quia rem repetere potuisset? Nonne igitur pretium  
 etiam in iudiciis singularibus, aliqua falso rationale  
 succedit in locum rei? Quodsi forsitan hoc argumentum  
 non sufficere videatur, ad grauiores accedimus  
 rationes, & appellamus AFRICANVM, qui hanc senten-  
 tiam egregie stabilit, & adeo Julianum hac in re te-  
 stem his verbis citat(e): *Si eum seruum, qui tibi lega-  
 tus sit, quasimibi legatum possederim & vendiderim, mor-  
 tuuo eo, posse te mihi pretium condicere, Julianus ait, qua-  
 si ex tua re locupletior factus sim.* Quam legem, pre-  
 tium succedere in locum rei singularis, abunde euincere,  
 iure arbitramur. Eandem sententiam sequitur  
 POMPONIVS f). Altera propositio probanda haec est:  
 in rebus singularibus quoque res succedit in locum pre-  
 tii. Neminem iurisperitum fugit, pupilos atque mi-  
 nores posse rem, quam ex eorum pecunia tutor cu-  
 ratorue sibi comparauit, quando hic pretium pupillo  
 minorue restituere nequit, recte sibi attribuere,  
 eamque vindicare g). Eadem ratione vxor, si mari-  
 to pecuniam donauerit, ex qua maritus sibi rem mo-  
 bilem vel immobilem comparauit, iure vindicat h),  
 si maritus non est soluendo i). Ex quibus luculentissime  
 patet, quando de singularibus rebus est sermo,  
 rem etiam succedere in locum pretii. Cum igitur sa-  
 tis commonistrasse censemus, pretium succedere in lo-  
 cum rei, & v.v. non hereditati solum & vniuersitati-  
 bus propriam esse regulam, sed etiam in singularibus  
 recte valere, & ad eas applicandam esse: corruit illud  
 argumentum contra nos compositum, quo fere  
 omnes, qui dissentunt, vtuntur. Non est igitur, cur  
 dicant, bona fidei possessorem vniuersalem restitue-



re debere fructus consumtos, quatenus locupletior ex iis est, at non eadem ratione obstringi bonaे fidei possessorem singularem, quia in vniuersalibus, non in re singulari locum haberet regula: pretium succedit in locum rei, & v. v.

- c) I. XVI. §. I. & V. I. XX. pr.  
π. de hered. petit.
- d) I. XXV. §. I. π. cit. tit.
- e) I. XXIII. π. de rebus cre-  
dit.
- f) I. XXVI. §. XII. π. de con-  
dict. indebiti.
- g) I. II. C. quando ex fact. tu-  
tor vel curat.
- h) I. LV. π. de donationibus  
inter vir. & vxor.
- i) I. XII. §. I. π. de iure do-  
tium.

### §. XXVI.

*Dubia contra dictam sententiam refutare nostra  
intereſſ.*

Quae cum ita sint, neminem ex damno alterius locupletiorem fieri debere, ideoque bonaе fidei possessorem singularem etiam restituere teneri fructus consumtos, quatenus ex iis locupletior est, non solum iure naturae, sed etiam iure romano comprobetur, operae pretium facturi sumus, si refellamus argumenta nostrae sententiae contraria. Quia vero vi-ri illustres LEYSER, WERNHER & MADIHN prope- modum omnia, quae aliqua veri specie proponi pos- sunt, in medium protulerunt, hos refutare conabi- mur, rati, illorum dubiis explosis, etiam aliorum opi- niones nobis contrarias esse excusas.

### §. XXVII.

*Primum dubium eiusque refutatio.*

Primum argumentum, quod nobis contrarium est, deducunt ex eo, quia bonaе fidei possessor in- tui-

tuitu vsus ipsius rei, quam possidet, secundum ius romanum eadem habeat iura, quae idem ius vero domino indulget. Cuius asserti CELEBERRIMVS MADIHN k) rationem assert ex l. CXXXVI. de R. I. *Bona fides tantundem possidenti praefiat, quotiens lex impedimento non est, eamque huic legi attribuit mentem, ac si ICtus PAVLVS dixisset, in vsl rei bonam fidem possessori tantundem praestare, quantum domino veritas, & per exceptionem ibi propositam actionem ciuilem, rei vindicationem, bona fidei possessori a romaniis expresse denegatam, atque ipsum ius ex possessione bona fidei oriundum in relatione ad verum dominum tantum reuocabile intellexisset.* Cum illa lege coniungit verba IVLIANI in l. XXV. §. I. ff. de usur. & fruct. *Bonae fidei possessor in percipiendis fructibus id iuris habet, quod dominis praediorum tributum est.* Praeterea cum ad fructuarium pertineant fructus a quolibet sati, quanto magis hoc in bona fidei possessoribus recipiendum est, qui plus iuris in percipiendis fructibus habent? cum fructuarii quidem non siant, antequam ab eo percipientur; ad bona fidei autem possessorem pertineant, quo modo a solo separati fuerint; sicut eius, qui vectigalem fundum habet, fructus sunt, simul atque solo separati sunt. Quae si accuratius animo consideremus, nondum patet, b. f. possessorem a restitutione fructuum consumtorum, quatenus ex iis locuples est, esse immunitam. Nam primum leges excitatae quidem probant, intuitu vsus rei possessae bona fidei possessori esse eadem iura, sed non perfecte eadem. Dominus enim verus fructus, siue ante item contestatam, siue post eam perceptos restituere non cogi potest, at bona fidei possessor certe quosdam restituere debet. Quis hoc negaret?

negaret? Cum igitur verus dominus & bonae fidei possessor non plane eadem habent iura, ab illo ad hunc colligi nequit, nisi in ea ratione, in qua vtrumque conuenire, singulari ratione & expresse commonstratum est. Deinde **VIR CELEBERRIMVS** ipse concedit, bonae fidei possessori ius ex bona fide tantum reuocabile competere *l)*, & cessante bona fide, illud quoque cessare. Cum igitur fructus percipientur iure soli *m)*; fructus vero tanquam accessorum fundi, sequantur naturam fundi, & praeterea effectus non sit fortior causâ sua: sequitur necessario, ut, fundo vindicanti restituto, eius etiam fructus, sive naturaliter, sive civiliter existant, restituendi sint (*S. XIII.*). Denique lex posterior non facit ad probandum, bonae fidei possessorem a restituitione fructuum perceptorum & civiliter consumtorum esse immunem. Nam primo, etsi bonae fidei possessoribus plus iuris in percipiendis fructibus, quam fructuaris, demus, quia illi non solum iure intuitu fructuum, sed etiam fundi, durante adhuc fide bona, hi vero solum iure percipiendi fructus gaudent *n)*, inde tamen non sequitur illud, quod quaeritur. Deinde neque verba: *ad bonae fidei possessorem pertinent fructus, quoquomodo a solo separati fuerint*, proslunt differentibus, quia de bonae fidei possessore, qua tali, dicuntur, seu quatenus est adhuc in bona fide. Remaneat igitur, allegatis illis legibus, adhuc lis sub iudice, vtrum bonae fidei possessor a restituitione fructuum civiliter consumtorum sit immunis.

*k)* cit. loco *S. III* pag. *n.* seqq.

*l)* cit. diff. schol. *§. VII.* pag.

*m)* *I. XXV.* pr. de *vsuris.*

*n)* vid. **VIR. HUBER** Praelect.

*iur. civil. sec. Instit. Lib. II. tit.*

*I. §. L. pag. 28. conf. l. XLVIII.*

*pr. de A. R. D.*

## §. XXVIII.

*Dubium secundum eiusque destruatio.*

Alterum argumentum petunt ex eo, quia bonae fidei possessor fructus consumtos lucretur. Quo argumento WERNHER o), quem LEYSER p), & plures alii sequuntur, nititur his verbis: „lure romano satis putto expeditum esse, bonae fidei possessor rem eorum fructuum nomine, quos cunsumsit, haud quam teneri, vunt ex iis locupletatus sit. Omnes enim leges, quae tales fructus eidem tribuunt, generaliter ac indistincte loquuntur, nec in illis vestigium restrictionis occurrit; quo facit in primis l. XXII. C. de R. V. & I. III. §. II. ff. fin. reg. vbi possessor fructus bonae fidei perceptos consumtosque lucrari dicitur, idemque cum visuacione effectus consumptioni tribuitur in l. III. §. XVIII. ff. de visur. Atqui visuacta domino restituenda non sunt. At si leges illas ex earum rationibus dijudicamus, potius cum nostra sententia conueniunt, quam ei repugnant. Legis XXII. cit. verba haec sunt: *Certum est, malefici possessores omnes fructus solere cum ipsa re praestare: bona fidei vero, existentes.* Ex hac lege ita argumentantur WERNHER eiusque sectatores: si bonae fidei possessor restituere debet fructus existentes, sequitur, vt non fructus civiliter consumtos, quatenus ex iis locupletior est, restituere teneatur. Quamquam vero illam propositionem concedamus, hanc tamen ex illa sequi, negamus, & ideo probationem exigimus. Unius enim, vti loquuntur, positio non est alterius exclusio. Fructus civiliter consummi etiam ab aliis civiliter existentes adpellantur (§. VII.). Neque les illa saepius excitata III.

E 3

§. II.

§. II. finium reg. nobis obest, in qua bonae fidei possessor fructus consumptos lucrari dicitur. Cum enim fructus consumpti sint, ex quibus nihil superest (§. XXI.), haec lex nos non ferit, sed potius quam maxime ad nostram facit caussam (§. XXII.). Neque tandem l. III. §. XVIII. de usurpat, nobis nocet, quamquam quadam ratione nobis repugnare videatur, re tamen diligentius perspecta verba illius non solum inter se, sed etiam cum nostra sententia, congruunt. Ita sonat lex: *Lana ouium furtuarum, si quidem apud furem detonsa est, usucapi non potest: si vero apud bonae fidei possessorem, contra: quoniam in fructu est nec usucapi debet, sed statim emtoris sit. Idem in agnis dicendum, si consumpti sint, quod verum est.* Cuius ienius idem est, ac si Ictus dixisset: malae fidei possessor, vti fur, lanam ouium furtuarum, et si apud eum detonsa sit, non usucapere potest, quia est in mala fide: contra vero bonae fidei possessor, vti b. f. emtor, potest eandem lanam usucapere, quia est in bona fide. Attamen non est necessarium, vt lanam prius usucapiat, ad ius in illam positis illis rebus circumstantibus acquirendum, cum lana, agni, & reliqua eiusdem generis, sunt in fructu, & ei, quab. f. possessor, ius percipiendi fructus sibiique eos attribuendi competit (§. XII.). Idem quoque dicendum est de agnis, si consumpti sint. Quae si omnia in favorem dissentientium interpretetur, id tamen tantum ex hac lege sequitur, vt b. f. possessor fructus percipere, perceptosque tamquam suos consumere possit. Cum vero b. f. possessor rem possessam etiam recte suam habeat, nihilominus vero eam dominio superuenienti restituere teneatur, quaestio controversa adhuc ab aduersariis est intacta, nec ex hac lege direm.

dirempta, vtrum b. f. possessor in re, domino restituenda, a restitutione eorum fructuum consumtorum, ex quibus adhuc locupletior est, sit immunis?

o) I. c. P. I. obs. CCCXVII. p) I. cit. spec. XCVIII. med.  
P. 333.

### §. XXVIII.

*Tertium dubium eiusque excusio.*

Tertium argumentum sumunt ex eo, quod ratione fructuum consumtorum nulla sit actio, neque realis, neque personalis q). Actionem realem ideo non locum habere contendunt, quia ius vindicandi, quod dominus habet, ad res non amplius existentes non extendatur, nec actionem personalem ideo adesse, quia remedium, quo lucrum ex fructibus rei singularis perceptum exigatur, deficiat. At haec non sufficere ad probandum, quod dissentientes verum esse putant, paucis sumus ostensuri. Si dicant, actionem realem non locum haberé ratione fructuum consumtorum, distinguendum est inter fructus naturaliter & ciuiliter consumtos. Si prius, non dissentimus, neque hac de re est sermo, & hoc spectat, quod sanciuit imperator §. XXXVI. Inst. de R. D. Si posterius consideres, negamus allatam rationem, cur deficiat actio realis. Si enim lucrum ex fructibus adhuc adest, etiam emolumenta rei existunt, ideoque fructus (§. VII.). Non verbis, sed rei inhaerendum est. Quodsi rem vindicare licet cum fructibus pendentibus & exstantibus, cur non cum ciuiliter consumtis? Hi enim quoad lucrum adhuc existant. Deinde quem fugit, in rei vindicatione petitum fieri, vt res restituatur cum omni causa. Nonne vero ad caussam referuntur res quaecunque, quae ex

re

reortae sunt, & per quas res quoad premium augetur? Si fructus ciuiliter consumti ad rem, ex qua profectae sunt, referuntur, omnino res sit maioris pretii. Tandem falsum est, ex sententia I<sup>t</sup>orum actionem realem institui non posse, re non amplius existente. A<sup>c</sup>tio realis potest institui contra quemcunque dolose desinentem rem possidere. At possessor potest ita rem desinere possidere, vt ea recuperari nequeat. Fieri igitur omnino potest, vt actio realis, re non amplius existente, instituatur *r).* Fac vero, nos concedere, re non amplius existente, cessare actionem realem, certe argumentis numquam defendi posse, arbitramur, etiam in illa specie seu causa, de qua loquimur, non locum habere actionem personalem. Quodsi quidam actionem personalem hac in re ideo deficere, putent, quia nullum delictum inter dominum & b. f. possessorem sit commissum, vix, vt ad id respondeamus, necessarium est. A<sup>c</sup>tio enim personalis non solum ex delicto oriatur, sed etiam ex lege. Actionem vero personalem illa in specie institui posse, constat primo ex eo, quia actio in factum institui potest contra possessorum, qui b. f. rem alienauit, vt tantum restituat, quantum ex venditione rei locupletior est *s).* Nonne igitur actio personalis locum habet, et si res existere desierit? Deinde cum supra ostendimus, b. f. possessorem, si rem dominus vindicet, fructus ciuiliter consumtos sine causa retinere, non difficile perspectu est, hoc in casu non sine ratione fructus ciuiliter consumtos repeti posse conditione sine causa.

2) Excel-

- q) Excell. MADHN I. c. p. Vindicat. s TRVV. syntagm. I. C.  
15. & 16. WERNHER I. c. p. exercit. XI. §. 12. p. m. 402.  
333. r) arg. I. LII. de R. V. I.  
r) I. XXVII. §. III. de Rei XXXII. de reb. credit. I. CCVI.  
de R. F.

### §. XXX.

Reliqua dubia, quae contra nostram sententiam componunt, non sunt tanti momenti, ut in illis re futandis commoremur. Tantum attingimus opinionem Cel. MADHN, quae ne fructus quidem existentes vindicanti a b. f. possessore esse restituendos, contentit t). Sequitur DONELLVM u) iam diu a FACHINEO refutatum x), quia b. f. p. intuitu vsls rei eadem iura habeat, quae vero domino indulget ius romanum. Et, cum verba legis XXII. C. de R. V. Certum est, possessorem cum ipsa re solere praefare fructus existantes, sibi repugnare animaduertat, fructus existantes per fructus pendentes explicat, ideoque etiam prouocat ad I. VII. §. XV. sol. matrimon. & I. XXVI. §. I. de furtis. At dicta ratio destrueta est (§. XXVII.), & interpretatio legis lubrico nititur fundamento. Nam primo Cel. MADHN ipse, cum fructus existentes pro pendentibus reputat, huius verbi significatum iudicat improprium. Ex regulis vero hermeneuticis semper proprius significatus improprio praferendus est, praeципue nulla ratione existante, cur mittamus propriam verborum significationem. Deinde adhuc quaestio est, vtrum in allegatis legibus fructus stantes non potius pro perceptis, an pro pendentibus accipiантur. Tum, et si verbum stare sumi pro pende-

F

re,

re, concedamus, sine ratione tamen ab eo, quod fructus stantes denotent pendentes, colligitur, fructus existentes esse pendentes. Alii enim sunt fructus existentes, alii stantes. Tandem alii y) copiose & satis docte ex legibus commonstrarunt, existentes fructus in iure opponi consumtis, ideoque non solum pendentes, sed etiam continere perceptos.

*t)* c. I. §. VII. & VIII.

*u)* de iur. ciuil. Lib. IIII.  
Cap. XXIII.

*x)* lib. I. controversi. iur. p. 46.

*y)* conf. BARN. PRISON.  
I. c. I. V. pag. 447. seqq.



PRAE.

PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMOQVE  
DOMINO  
AVCTORI ET RESPONDENTI  
GOTHOFR. IVSTINO GVIELM  
SALZMANNO

S. D. P.  
CAROLVS AVGVSTVS TITTEL  
IVR. D. ET P. P.

**Q**uantos, VIR PRAENOBILISSIME, in  
iurisprudentia feceris progressus, nouo hoc, quod  
iam in lucem edidisti, specimine egregie compro-  
basti. Idem strenua eiusdem specimenis nempe dissertatio-  
nis TVAE doctissimae defensione magis confirmabis. Hos  
laudabiles TVOS projectus, mihi aliquique iam olim non  
ignotos, nunc publice declarari atque plausu ornari com-  
muni, non sine insigni animi voluptate intelligo. Eo ma-  
gis hac de re laetor, quo suauior mihi est TVA felicitas,  
quam ex animo TIBI adprecor. Diligentia TVA,  
AMICE AESTVMATISSIME, quam ego  
quoque in paelectionibus meis sum expertus, eximios  
TIBI pollicetur fructus, & parta studiis TVIS erudi-

tio spondet **TIBI** munera honorifica, quibus commu-  
 nem rei publicae utilitatem scientia **TVA** potes ampli-  
 ficare. Beneule oblatum dissentientis munus recusare  
 mihi nefas duco; maxime cum illud sit grata **TIBI**  
 gratulandi occasio meumque in **TE** studium publice si-  
 gnificandi. Est illud **TVAE** erga me amicitiae, mihi  
 iucundissimae, documentum, quod lubentissime apprehen-  
 do, addens vota sincerrima pro stabili **TVA** **TVO-**  
**RVM**que salute & ut porro **PARENTIBVS** **TVIS**  
**HONORATISSIMIS** sis gaudio, omnibusque **TVIS**  
 conatibus felicissimus respondeat euentus. Vale! Da-  
 bam die XVIII. Octobr. anno

CIOCCCLXIII.



V I R O

) o (       
**V I R O**  
 P R A E N O B I L I S S I M O A C D O C T I S S I M O  
 D I S S E R T A T I O N I S H V I V S  
**A V C T O R I**

S. D. P.

P R A E S E S .

**Q**uamquam sunt, qui omni studio & opera ad iurisprudentiam excolandam ferantur, pauci tamen eum attingunt finem, quo patriae sibique vilitati & solatio esse possint. Id si et numero est in causa, quod, neglecta philosophiae cultura, ideoque iure naturae, memoria capi posse iura, sibi persuadeant. Tantum abest, ut, **VIR DOCTISSIME, AMICE HONORATISSIME**, illis adscribendus sis, ut potius alii habeant, cur **TE**, ducem encomiis dignissimum, sequantur. Ea semper incessasti via, quam, si alii permettentur, numquam a recto aberrabunt trahite. Semper ad **TVAM** vilitatem coniunxisti philosophiam cum iurisprudentia positiva, ut par esse in utriusque facultate. Quo factum est, ut non solum teneas leges, sed etiam earum ubique commonistrare pos-

F 3

sis

sis rationes. Recordor de insigni & plane singulari deligen-  
tia, qua meis recitationibus non modo in philosophica & iuris  
naturae praecepta, sed etiam in iura positiva interessè ve-  
luiſti, & admiror ingenium *TVVM* excellens, quo ne-  
mini secundus, ac eruditionem solidissimum, qua difficulta-  
tis iuris argumenta etiam disputando excutere es solitus.  
Cum igitur, vt, *TECVM* cathedram iuridicam adscen-  
dam, *TIBI* viſum fit, eo proptior ad hoc certamen ac-  
cedo, quo magis verum est, *TE* meo non egere auxilio.  
Gratulor potius *TIBI* de *TVO* specimine, quod hodie  
eruditorum lymæ subiectum cum egregio disciplinae &  
doctrinae rerum tueberis apparatu. Gratulor *TVO PAREN*  
*CONSVLTISSIMO* de *TE*, filio eruditissimo.  
Cum virtutem sequantur praemia, fieri nequit, quin  
*TE* exspectent summa & uberrima. Caeterum? *TVAE*  
amicitiae, qua mihi gratius acceptiusque nihil est, in po-  
sterum me etiam atque etiam commendo. Vale. Dab. Ienæ  
d. XXI. Octobr. A. R. S. CCCCCCLXIII.



Zeuch

Zeuch hin, Du Bester meiner Freunde!

Nernim Dein Lob, und überwind.

Hörs aus dem Munde Deiner Feinde,

Wenn Feinde bey Dir möglich sind.

Zeuch hin, und eile zu besiegen,

Ich folge Deinem Freundschafts-Blick,

Und werd ich fehlend unterliegen,

So bleibt mir doch der Trost zurück:


Dass ich die Tugend nicht verfehlte,

Als ich Dich mir zum Freund erwählte.

Johann Heinrich Karl von Reck.



Monsieur



*Monsieur,*

Affurement je suis flatté de voir que vous me faites l'honneur de me nommer pour VOTRE opposant, particulièrement contre une dissertation qui vous fait beaucoup d'honneur: & qui persuadera chacun de VOTRE grande eruditio[n], qui nous est déjà assez connue. La gloire, que vous venez de vous acquerir par VOTRE dissertation, est si grande, qu'elle merite les plus grandes felicitations. Soyez persuade, MONSEUR, que personne n'y peut prendre plus de part que moi. L'occasion me'est trop favorable pour la laisser passer sans vous demander la continuation de VOTRE amitié si estimable pour moi, & VOTRE bonté est trop grande, pour refuser cette fauer à celui, qui est avec la plus grande considération,

*Monsieur,*

*Votre*

très humble & très obeissant

Serviteur

E. C. C. DE SCHARDT.



X2368110



**Farbkarte #13**



*G. 28 num. 29. 43a*  
*1763, 6*  
*20*

*DISSERTATIO IVRIDICA*

**DE  
BONAE FIDEI POSSESSORE  
SINGVLARI  
A RESTITVTIONE FRVCTVVM  
PERCEPTORVM NON  
SEMPER IMMVN**

*QVAM  
DEO AVXILIANTE*

*EX*

*ILLVSTRIS IVRECONSULT. ORD. CONSENSV  
PRAESIDE*

**IO. NICOLAO MOECKERT**

*PHILOSOPHIAE ET IVRIVM DOCTORE*

*DIE XXI. OCTOBR. CICIO CCLXIII.*

*ERVDITORVM DISQVISITIONI, SVBMITTIT*

*AVCTOR*

**GOTHOFR. IVSTINVS GVILIELMVS  
SALZMANNVS**

*IENENSIS*

*IVRIS VTRIVSQUE CANDIDATVS.*

*IENAE  
CHARACTERIBVS MARGGRAFIANAE VIDVAE. 6)*

